

cit. n. 222 et alii. Et quod non teneatur impedimenta denuntiare cum gravi suo incommodo, vel aliorum scandalo, est communis cum Pontio l. v, c. 34, n. 2, quia charitas non obligat magno cum damno proprio avertere alterius damnum, sive spirituale, sive aliud.

(69. Denuntiationes matrimonii sine gravi causa non sunt omittendæ; Benedict. XIV, tom. I, constit. 35, incip. *Satis vobis*, § 5.

(70. Nec super trina denuntiatione matrimonii est facile dispensandum; idem const. 85, *Nimum. V. Append.* in fin., art. 7 h. rubricæ. (71. Dispensandi facultas admittitur nuntio Apostolico in regno Poloniæ commoranti. Idem *ibid.*, § 16. (72. Denuntiationum lex pro contrahendis matrimoniis in Servia, et finitimis regionibus est servanda. Idem const. 89, *Inter omnigenas*.

ADDITIONES EX ALIENA MANU.

(73. De origine denuntiationum matrimonii, vide, si lubet, Rousseaud de la Combe in sua *Jurisprudentia canon.*, verb. *Ban de mariage*, sect. 1, n. 1.

(74. Mire inter se dissentiunt doctores de tempore, quod a factis denuntiationibus ad matrimonium elabi debet, ut ex repetantur. Alii tenent, tunc demum esse repetendas denuntiationes, quum annus elapsus est. (75. Alii sufficere arbitrantur, si elapsi sint menses quatuor, ut denuntiationes repetantur. (76. Alii, quos sequitur auctor, num 15, duos menses satis esse volut pro repetitione denuntiationum. (77. Et hunc terminum statuit D. Carolus Borromæus in *concilio Mediolanen.* V, tit. 17.

(78. Nata inde est hæc varietas, quod in jure nihil de hoc tempore sancitum est. Ego cum Rousseaud de la Comb. in sua *Jurisprudentia canonica*, verb. *Ban de mariage*, sect. 3, num 2, censeo, terminum hunc dependere debere a circumstantiis, tum a prudentia episcopi. (79. Quod si aliqua suspicio sit de novo aliquo impedimento, repetendæ sunt denuntiationes, quamvis nec duo menses sint elapsi.

(80. Tametsi nonnulli cum auctore n. 18, et plur. sequent. sentiant, denuntiationes fieri posse diebus non festis, si magnus sit populi concursus, et quidem etiam extra ecclesiam, (81. tum fieri posse in ecclesia diebus festis, dum celebrantur vespere, concilium tamen Tridentin., ut observat Rousseaud de la Combe in sua *Jurisprud. canonica*, verb. *Ban de mariage*, sect. 3, n. 4. (82. aperte contrarium est, eo ipso quod decrevit, ut fiant denuntiationes diebus festis inter missarum solemnias.

(83. Opinio auctoris n. 31, quod vicarius generalis, vi solius generalis commissionis vicariatus, possit dispensare super denuntiationibus, plures habet contradictores, quos citat Leuren *De vicar.*, tract. 1., sect. 3., cap. 3, § 8, q. 161. (84. Sequitur autem mox laudatus doctor eandem auctoris opinionem, sed una monet, posse episcopos ejusmodi facultatem dispensandi super

denuntiationibus etc. sibi ipsis reservare etc. (85. « Unde, inquit, an vicarius hic et nunc in dictis denuntiationibus remittendis dispensare valeat, colligendum ex mente episcopi, et ex consuetudine hujus, vel illius Ecclesiæ; (86. ita tamen, ut si in generali commissione vicariatus, aut extra id expressum non sit ab episcopo, aut aliud habeat dicta consuetudo, id possit vicarius. »

(87. Dum contrahentes sunt duarum diocesium, necessario requiri, ut dispensatio super denuntiationibus concedatur ab utroque episcopo, contra Barbos., Sanchez, Bonacin., aliosque quos sequitur auctor n. 34, tenet Rousseaud de la Combe, in sua *Jurisprudentia canonica*, verb. *Ban de mariage*, sect. 4, dist. 3, n. 6.

(88. De causis ex quibus concedi debet dicta dispensatio confert Rousseaud de la Combe in sua *Jurisprudentia canonica*, sect. 4, dist. 2, ubi improbat causam illam, quam affert auctor, n. 52. imminenti temporis, quo nuptiæ celebrari nequeunt, et pro se allegat D. Carolus Borromæus in *concilio Mediolanensi* V.

(89. Denuntiationes non esse necessarias, adeoque omitti posse tenet Rousseaud de la Combe in sua *Jurisprudentia canonica*, verb. *Ban de mariage*, sect. 4, dist. 1, si celebratio matrimonii demandata sit decreto alicujus supremi tribunalis.

ADDITIONES CASINENSES.

(90. Quoad pœnas, quæ matrimonia, denuntiationibus posthabitis, sequuntur, tam respectu parochi, quam ipsorum contrahentium, et testium, addimus cum Benedicto XIV quod « parochus matrimonio interesse præsumens, cui legitimæ non præcesserint denuntiationes, suspensione ab officio, triennio duratura, aut etiam graviori pœna plecti jubetur in cap. *Cum inhibito*, § final. ex *De clandest. desponsat*; a qua quidem suspensione, cujus tempus est a jure determinatum, non posse eundem intra triennium ab episcopo absolvi, docent Sanchez... Gutierrez... et Pontius... » *De synod. dioceses.*, lib. XII, cap. 6, n. 2.

(91. Insuper ait Sanchez: « Admitterem, posse judicem suspendere eum parochum triennio suspensum ab officio, eo quod interfuit matrimonio clandestino ob solam denuntiationum omissionem, posse (inquam) suspendere simul a beneficio, quando culpæ gravitas hoc postularet. » *De matrim.*, l. III, disput. 51, n. 14.

(92. Amplius, eodem Sanchezio docente « incurret parochus eam pœnam, ut suspendendus sit triennio non tantum quando interfuerit matrimonio clandestino, vel impedire neglexerit, sed etiam idem dicendum est de aliis matrimoniis interdictis jure, vel a iudice. Nam § final. (cit. cap.) *De clandest. desponsat.* sic dicitur: « Sane si parochialis sacerdos tales conjunctiones prohibere neglexerit, » ubi verbum illud *tales* refertur ad nuptias, de quibus § præcedenti egerat ille textus: egerat autem de clandestini-

nis, vel interdictis conjugii. Sic Majolus... unde bene infert parochum conjungentem vagos, non servato quod præscribit Trident., sess. XXIV, *De matrim.*, c. 7, incurrere eam pœnam, ut triennio suspendendus sit.... Eadem ratione, si alter sit vagus, aut alienigena, licet non vagus, parochus assistens tali matrimonio, incurret eandem suspensionem, si absque ordinarii licentia intersit. » L. cit., disput. 48, num. 5.

(93. Quantum vero ad ipsos contrahentes, ac testes spectat « quia (illi) Ecclesiæ mandatum in re sane gravi contemnunt, conditionem penitentiam injungendam in cit. cap. *Cum inhibito*, § final. statuitur. Testibus tamen, qui ejusmodi matrimoniis assistunt, nulla pœna, neque a concilio Lateranensi, neque a Tridentino reperitur imposita: at nihilominus pleræque diocesanæ synodi etiam in illos duxerunt animadvertendum pœna excommunicationis latæ sententiæ. Quamvis porro Soto... absonum visum sit, a particulari synodo illam in prædictos testes irrogari pœnam, a qua infligenda concilia generalia abstinuerunt, ac proinde præfatas constitutiones irritas existimaverit; rectius tamen earundem validitatem propugnat, atque a Soti argumentis vindicat Sanchez... Etenim cum testes præfati assistentiam præstent matrimonio ab Ecclesia interdicto, graviter profecto in Ecclesiæ leges delinquant: quapropter synodales constitutiones eorum culpam debita coercentes pœna, nihil agunt contra canones, sed canones ipsos tuentur, ac fovent. » Sic idem Benedictus XIV, *De synod. dioceses.*, cit. lib. XII, cap. 6, n. 2.

(94. Atque ad hanc doctrinam magis firmandam non supervacaneum addere putamus, quod licet nec archiepiscopi, etiam in provinciali concilio, nec episcopi pro suis diocesisibus, multoque minus alii inferiores prælati possint pro subditis quidpiam statuere contra jus commune canonicum, aut alias constitutiones Apostolicas, ut unanimiter docent DD., quippe *Lex superioris per inferiorem tolli non potest*: sicut nec per episcopos, etiam in synodo diocesanæ, aliquid statui potest, quod canonicis adverse institutis: c. 9. *De majorit.*, etc. « Hoc tamen non obstante, possunt leges superioris per inferiorem adjuvari per pœnæ adjectionem... Ratio est: quia nullo jure istud reperitur prohibitum, et longe aliud est, legem superioris tollere, aliud vero eam, ut melius servetur, per pœnæ adjectionem adjuvare. » Reiffenst., ad tit. 2, ex. *De const.*, § 4, n. 75, 76.

ARTICULUS V.

Quoad ea quæ concernunt impedimenta mere impedientia, et septem prima dirimentia.

SUMMARIUM.

1. Impedimenta matrimonii sunt duplcis generis, et quæ? — 2. Datur in Ecclesia Dei potestas constituendi impedimenta matrimonii. — 3. Impedimenta mere impedientia, spectato jure antiquo, fuerint sex, et quæ? — 4. Ecclesiæ vetitum quid

sit? — 5. Tempus feriatum quid, et quale sit? — 6. Catechismus quid? — 7. Crimen quid? — 8. Sponsalia quid sint, et quando impediant? — 9. Votum quid, et quale sit? — 10. Ex assignatis sex impedimentis, non vigent nunc nisi quatuor, et quæ? — 11. Impedimenta dirimentia, quæ de jure antiquo erant tantum duodecim, nunc jure Tridentini sunt quatuordecim, et assignantur. — 12. Error est quadruplex, scilicet persone, fortunæ, conditionis, et qualitatis, et assignatur quilibet. — 13. Error personæ dirimit matrimonium, non solum jure positivo, sed etiam jure naturæ. — 14. Error fortunæ, aut qualitatis non dirimit matrimonium, nisi certo limitaret consensum contrahentis. — 15. Condicio, seu impedimentum conditionis quid sit? — 16. Error conditionis servilis dirimit matrimonium, quando liber credens contrahere cum libera, contrahit cum serva, et econtra. — 17. Intellige de servis, et ancillis proprie talibus, non autem de servis, et ancillis *asciitiis, et originariis*. — 18. Matrimonium contractum a persona libera cum servili prius cognita ut tali, est validum, et licitum. — 19. Item validum est matrimonium contractum inter duas personas similes, etiam invit dominis. — 20. Item validum est matrimonium contractum a persona serva cum alia pariter serva, quam tamen putabat liberam, et cui non nupsisset, si conditionem ejus servilem cognovisset. — 21. Item validum est matrimonium contractum a persona libera cum alia libera, quam ex errore putabat servam. — 22. Item validum est matrimonium contractum a persona serva cum libera, quam ex errore putat servam. — 23. Votum quid, et quale sit? — 24. Omne, et solum votum solemne per susceptionem sacri ordinis, et per professionem religiosam emissum dirimit matrimonium contrahendum. — 25. Votum solemne ordinis sacri est solum impedimentum dirimens respectu matrimonii contrahendi, attamen non dirimit jam contractum, quamvis nondum consummatum. — 26. Votum autem solemne professionis religiosæ, non solum est impedimentum dirimens respectu matrimonii postea contrahendi, sed etiam dirimit jam contractum nondum consummatum. Subnectuntur hic additiones ex aliena manu, quæ in aliis Ferrariensibus editionibus collocatæ reperiuntur sub v. *Conjuges*, in fine: ad numer. 46. — 47. Cognatio est triplex, naturalis, spiritualis, et legalis; et quæ sit naturalis, seu carnalis? — 48. Stipes quid sit? — 49. Linea consanguinitatis quid sit? — 50. Hæc linea est duplex, recta, et transversalis. — 51. Quæ sit linea recta? — 52. Quæ sit linea transversalis, tam æqualis, quam inæqualis? Et quid sit gradus, ac quare sic dictus? — 53. Ad facilius dignoscendum, quot gradibus distent inter se consanguinei, dantur tres regulæ, prima pro linea recta, secunda pro linea transversali æquali, et tertia pro linea transversali inæquali. — 54. Assignatur regula pro linea recta. — 55. Assignatur regula pro linea transversali æquali. — 56. Assignatur regula pro linea transversali inæquali. — 57. In linea transversali inæquali pro obtinenda in gradibus consanguinitatis dispensatione debent manifestari, nedum gradus remotior, sed etiam propinquior stipiti. — 58. Regulæ traditæ pro computatione graduum in linea transversali, tam æquali, quam inæquali valent solum in jure canonico, non autem in jure civili. — 59. Assignatur ratio disparitatis. — 60. Ordo computationis graduum statutus a jure civili servandus est etiam in foro ecclesiastico, et econtra ordo computationis graduum statutus a jure canonico servandus est etiam in foro sæculari. — 61. Cognatio naturalis non dirimit matrimonium jure ecclesiastico, nisi infra quartum gradum, tam in linea recta, quam in transversali, sive æquali, sive inæquali. — 62. Impedimentum consanguinitatis dirimit matrimonium quoad primum gradum in linea recta, non solum jure humano, sed etiam divino, et naturali. — 63.



Imo probabilissimum est, dictum impedimentum consanguinitatis in linea recta dirimere matrimonia jure naturæ, non solum quoad primum gradum, sed etiam quoad reliquos usque in infinitum. — 64. Contraria tamen sententia docens dictum impedimentum in linea recta dirimere matrimonia de jure naturæ solum quoad primum gradum, et non quoad alios, est vere probabilis. — 65. Impedimentum cognationis naturalis in linea transversali dirimit matrimonium jure naturæ, ac divino quoad primum gradum. — 66. Affertur ratio. — 67. Impedimentum cognationis naturalis in linea transversali non dirimit matrimonium quoad secundum, et superiores gradus jure naturali, et divino, sed solum jure ecclesiastico. — 68. Cognatio spiritualis quid sit: et quomodo habeatur: ad n. 69. — 70. Impedimentum cognationis spiritualis introductum est solum jure ecclesiastico. — 71. Cognatio spiritualis antiquo jure erat triplex, scilicet paternitas, compaternitas, et confraternitas: et quid sit paternitas spiritualis? — 72. Compaternitas spiritualis quid sit? — 73. Confraternitas spiritualis quid sit? — 74. Jure vero Tridentini fuit omnino sublata dicta *confraternitas spiritualis*, et certo modo restricta *paternitas*, et *compaternitas*. — 75. Cognatio spiritualis a quibus hodie contrahatur? — 76. Cognatio spiritualis non oritur ex baptismo, et confirmatione nulliter collata. — 77. Cognatio spiritualis contrahitur ab accipiente puerum ab obstetrice. — 78. Cognatio spiritualis contrahitur etiam in baptismo domi secuto. — 79. Cognationis spiritualis in primo gradu dispensatio concedi non solet. — 80. Alia concernentia hanc cognationem spiritualem, *remissive*. — 81. Cognatio legalis unde dicta? — 82. Cognatio legalis quid sit? — 83. Cognatio legalis est triplex, scilicet paternitas, fraternitas, et affinitas legalis; et quid sit paternitas legalis? — 84. Hæc cognatio semper durat, et dirimit, etiamsi adoptio per emancipationem fuerit soluta. — 85. Fraternitas legalis quid sit? — 86. Hæc cognatio non durat semper, sed exspirat exspirante adoptione. — 87. Affinitas legalis quid sit? Hæc cognatio semper durat, et dirimit etiam soluta adoptione. — 88. Assignatur ratio differentie, cur cognatio legalis in linea recta descendendum, et affinitas duret semper, et non sic cognatio transversalis, seu fraternitas legalis. — 89. Cognatio legalis dirimens matrimonium oritur inter ipsos filios adoptivos, si plures ab eodem adoptantur. — 90. Cognatio legalis dirimens matrimonium non oritur inter adoptatum, et filiam illegitimam adoptantis: nec inter filiam illegitimam adoptantis, et adoptantem, vel legitimos ejus liberos. — 91. Cognatio legalis non oritur inter adoptantem, et parentes adoptati. — 92. Neque cognatio legalis dirimens matrimonium oritur inter filios duorum fratrum adoptivorum. — 93. Neque oritur inter filios legitimos, et naturales patris adoptantis, et filios adoptivorum. — 94. Adoptio quid sit, et quis adoptare, et adoptari possit, et quomodo? — 95. Adoptio est duplex, una propria et perfecta; et alia impropria, et imperfecta; et quæ sit utraque? — 96. Assignantur differentie vertentes inter adoptionem perfectam et imperfectam. — 97. Probabile est, quod cognatio legalis dirimens matrimonium, non solum oriatur ex adoptione perfecta, sed etiam ex imperfecta. — 98. Multi tamen sustinent contrarium. — 99. Crimen dirimens matrimonium est quadruplex: primum est solum homicidium; secundum est homicidium cum adulterio; tertium est adulterium solum cum promissione matrimonii de futuro; quartum est adulterium solum cum alio matrimonio contracto. — 100. Solum homicidium quando dirimat? — 101. Ad hoc, ut tale homicidium inducat impedimentum, requiruntur tres conditiones, et assignantur. — 102. Homicidium cum adulterio quando dirimat? — 103. Ad hoc, ut tale homicidium inducat impedimentum, requiruntur etiam tres conditiones, et assignantur. — 104. Adulterium solum cum promissione matrimonii de futuro quando dirimat? — 105. Ut tale adulterium causet impedimentum, requiruntur quatuor conditiones; et assignantur. — 106. Adulterium solum cum alio matrimonio contracto, quando dirimat? — 107. Ut tale adulterium causet impedimentum, requiruntur duæ conditiones; et assignantur. — 108. Criminis impedimentum non est inductum jure naturæ, vel divino. — 109. Hinc, si duo infideles pro tempore infidelitatis commisissent tale crimen, et postea conversi ad fidem inter se contraherent, valide contraherent. — 110. Non sic autem, si tale crimen fuisset commissum a duobus, quorum unus esset fidelis, et alter infidelis. — 111. Cultus disparitas inter quos dirimat matrimonium? — 112. Hoc impedimentum non est inductum jure naturæ, aut divino, sed solum jure ecclesiastico. — 113. Si ex duobus conjugibus infidelibus unus convertatur ad fidem, et alter monitus et rogatus nolit converti, nec cohabitare sine injuria Creatoris, tunc matrimonium, etiamsi fuerit consummatum, dissolvitur quoad vinculum. — 114. Non potest autem fidelis conversus solvere matrimonium quoad vinculum, quando infidelis vult cohabitare sine injuria Creatoris, licet nolit converti. \*Subnectuntur *Additiones Casinenses* ad majorem rei explanationem ad n. 115. — 116. Nec etiam solvitur matrimonium quoad vinculum, si unus conjugum transeat ad infidelitatem, seu labatur in hæresim. — 117. Imo nedom non dirimuntur matrimonia propter hæresim, sed et valide contrahuntur cum hæreticis, si rita catholico contrahantur. — 118. Secundum multos matrimonia cum hæreticis, nedom sunt valida, sed etiam licita in locis, ubi hæretici et catholici permixti vivunt. Sed tamen multa quoad hoc sunt advertenda, *remissive*. — 119. Vis quantum ad præsens quid sit? — 120. Vis, seu metus est duplex; scilicet gravis, seu cadens in constantem virum, et levis, seu cadens in virum inconstantem; et qualis sit uterque? — 121. Ad metum gravem quatuor conditiones requiruntur, et assignantur. — 122. Metus alius est inessus a causa intrinseca, et alius a causa extrinseca libera; et qualis sit uterque? — 123. Insuper metus alius est juste incussus, et alius injuste; et qualis sit uterque? — 124. Matrimonium ex gravi metu injuste incusso contractum est ipso jure nullum, et invalidum. — 125. Metus gravis injuste incussus dirimit matrimonium jure naturæ. — 126. Metus levis, etiamsi sit injuste incussus, non dirimit matrimonium. — 127. Metus gravis ab intrinseco proveniens non dirimit matrimonium. — 128. Nec etiam dirimit matrimonium metus gravis ab extrinseco proveniens, si sit juste incussus. — 129. Alia ad rem, *remissive*. — 130. Subnectuntur additiones ex aliena manu, ad n. 140.

(1. Impedimenta matrimonii sunt duplicis generis, alia mere impedientia, et alia dirimentia. *Impedimenta mere impedientia* sunt illa quæ mere impediunt matrimonium contrahendum, sed non irritant jam contractum: unde quamvis matrimonium cum aliquo ex his impedimentis nequeat licite, et absque peccato contrahi, potest tamen valide. *Impedimenta dirimentia* sunt illa, quæ non solum impediunt, ne matrimonium contrahatur licite, sed etiam ne valide; unde matrimonium contractum cum aliquo ex his impedimentis est omnino nullum ac irritum. (2. Datur in Ecclesia Dei potestas constituendi impedimenta, sive impedientia, sive etiam dirimentia matrimonii; *communis* inter catholicos, atque definitum contra modernos hæreticos in concilio Tridentino sess. xxiv,

can. 4, ibi: « Si quis dixerit, Ecclesiam non potuisse constituere impedimenta matrimonii dirimentia, vel in iis constituendis errasse, anathema sit »; et canon. 3. ibi: « Si quis dixerit, eos tantum consanguinitatis, et affinitatis gradus, qui in *Levitico* exprimuntur, posse impedire matrimonium contrahendum, et dirimere contractum: nec posse Ecclesiam in nonnullis eorum dispensare, aut constituere, ut plures impediunt, et dirimant, anathema sit: » et colligitur ex cap. *Tum 3*, De ordine cognationum, cap. *Ex litteris 1*, De consanguinit. et affin., c. *Multorum 10*, caus. 35, qu. 6.

(3. Impedimenta mere impedientia, spectato jure antiquo, sex fuerunt sequentibus versiculis communiter comprehensa.

Ecclesie vetitum, nec non tempus feriatum, Atque catechismus, crimen, sponsalia, votum Impediunt fieri, permittunt juncta teneri.

(4. *Ecclesie vetitum* est prohibitio Ecclesie, quæ sit a Papa, ab episcopo, vel parochio ex justa causa ad certum tempus, v. gr. ad evitandum scandalum, et tumultum, aut cognoscendum impedimentum aliquod, de quo dubitatur inter copulandos; arg. c. 1, 2 et 3, *De matrimonio contracto contra interdictum Ecclesie*, et cap. final. *De clandestinis despons.*

*Tempus feriatum*, quo prohibetur, non matrimonium, sed matrimonii solemnitas, scilicet benedictio nuptiarum solemnitas, sponsæ in domum sponsi traditio, solemniora convivia, et tripudia, etc. Tale tempus olim varium, et longius erat, ut patet ex c. 8, 10 et 11, caus. 33, qu. 4, et cap. *Capellanus 14*, De feriis. Ast in præsentiarum est restrictum a concilio Tridentino sess. XXI, c. 10, *De reformat. matrimonii*, ab Adventu usque ad diem Epiphaniæ, et a feria quarta Cinerum usque ad octavam Paschæ inclusive, ibi: « Ab Adventu Domini nostri Jesu Christi usque ad diem Epiphaniæ; et a feria quarta Cinerum usque ad octavam Paschæ inclusive, antiquas solemnium nuptiarum prohibitiones diligenter ab omnibus observari sancta synodus præcipit, in aliis vero temporibus solemniter celebrari permittit. »

(6. *Catechismus*, per quem intelligitur cognatio quædam spiritualis imperfecta, quæ olim contrahabatur ab eo, qui respondebat pro infante, quando supplebantur cæremoniæ post baptismum collatum privatim in necessitate, quamvis talis respondens infantem jam antea privatim baptizatum de sacro fonte non levarit; arg. cap. *contracto 5*, De cognatione spirituali, et cap. *Per catechismum 2*, eod. in 6. Ast hodie non amplius viget hoc impedimentum; cum videatur sublatum a Tridentino sess. xxiv, *De reformat. matrim.*, cap. 2, per illa verba: « Omnibus inter alias personas hujus spiritualis cognationis impedimentis omnino sublatis; » prout contra paucos alios advertunt Pontius lib. vi, c. 11, n. 3; Sanch., lib. vii *De matrim.*, disp. 10, n. 10; Reiffenstuel, lib. iv. *Decret.*, tit. 11, num. 5,

ipsisque testibus, declaravit sacra congregatio, et motus proprius S. Pii V, confirmatque ipsa praxis, et universalis Ecclesie consuetudo, quæ, ex cap. *Cum dilectus filius 8*, De consuetudine, optima est legum interpretis. Et sic tenent Ledesma, Reginald., Rebellus, Gutierrez, Bonacina, Molfesius cum Barbosa super d. cap. Concilii Tridentini, num. 41. Quamvis ipse Barbosa sibi contradicat, et teneat contrarium in *Summa Apostolicar. decis.*, verb. *Cognatio spiritualis*, n. 7, afferens decretum sacre congregationis Concilii de anno 1592, 22 Decembris.

(7. *Crimen*, per quod intelligebantur varia enormia delicta, quorum aliquod si quis committebat, nubere alteri licite amplius non poterat; arg. cap. *Qui presbyterum 2*, De pœnitentiis et remissionib., c. *Si quis 1*, et cap. *Veniens 2*, De eo qui cognovit consanguineam, etc., cap. *Statutum 33*, caus. 17, qu. 2, cap. *Admonere 6*, caus. 33, qu. 2; cum similibus, et Glossa in cit. c. *Qui presbyterum*, verb. *Absque spe conjugii*, ubi ipsa crimina comprehendit his versiculis.

Incestus, raptus sponsatæ, mors mulieris, Susceptio propriæ prolis, mors presbyteralis, Vel si pœniteat solemniter, aut monialem Accipiat: prohibent hæc conjugium sociandum.

(8. *Sponsalia*, quæ sunt mutua promissio futurarum nuptiarum, l. 1, ff. *De sponsalibus*, cap. *Nostrates 3*, caus. 30, qu. 5, quando sunt contracta cum una persona, impediunt matrimonium cum alia, nisi prius sint rite dissoluta; arg. cap. *Ex litteris 2*, et cap. *Ad audientiam 4*, *De sponsalibus*, et cap. 1 *De pactis*, et similibus.

(9. *Votum*, per quod in proposito intelligitur votum simplex castitatis, seu votum simplex ingrediendæ religionis, assumendi ordinem sacrum, non ineundi conjugium, quæ vota impediunt matrimonium contrahendum, sed non dirimunt jam contractum, cap. *Consuluit 4*, et cap. *Rursus 6*. Qui clerici, vel voventes matrimonium contrahere possunt: c. unic. *De voto* in 6.

(10. Ex assignatis autem sex impedimentis mere impedientibus, cum duo jam non amplius vigeant, nempe impedimentum *catechismi*, jam per consuetudinem contrariam abrogatum, et impedimentum *criminis* jam per longævam desuetudinem abrogatum, hinc quatuor tantum hodie vigent impedimenta mere impedientia apte in hoc versiculo comprehensa.

Sacratum tempus, vetitum, sponsalia, votum.

(11. Impedimenta dirimentia, quamvis jure antiquo fuerint tantum duodecim, tamen hodierno jure sunt quatuordecim, cum ipsis duodecim impedimentis antiquis duo de novo sint adjecta a concilio Tridentino, scilicet *absentia parochi*, et duorum testium, ut habetur sess. xxiv, c. 1. *De reformat. matrim. et Raptus*, ut habetur ead. sess. xxiv, cap. 6. *De reformat. matrim.*, quæ omnia impedimenta comprehenduntur sequentibus versiculis, re. atis tum a S. Thoma part. iii, qu. 50, *Supplement.*, art. 1, tum a Scoto, in 4, dist. 42; et aliis passim.



Error, conditio, votum, cognatio, crimen, Cultus disparitas, vis, ordo, ligamen, honestas; Si sis affinis, si forte coire nequibus, Si parochi, aut duplicis desit presentia testis; Raptaque sit mulier, nec parti reddita tuta; Hæc facienda vetant connubia, facta retractant.

(12. Error est quadruplex, scilicet personæ, fortunæ, conditionis, et qualitatis, textu expresso in cap. *Quod autem*, caus. 29, q. 1, ibi: « Error personæ est, quando hic putatur esse Virgilius, et ipse est Plato; error fortunæ, quando hic putatur esse dives, qui est pauper, vel e converso; error conditionis, quando putatur esse liber, qui servus est; error qualitatis, quando putatur bonus qui malus est. »

(13. Error personæ dirimit matrimonium, non solum jure positivo, ex cap. *Tua nos* 26, De sponsalibus, et cit. cap. *Quod autem*, caus. 29, a. 1, ibi: « Error personæ consensum conjugii non admittit; » sed etiam ex jure naturæ, adeoque nullum est, etiamsi ab infidelibus cum tali errore contrahatur; Et ratio est, quia errantis nullus est consensus; arg. l. viii et 9; *Cod. de jur. et fact. ignorant.* Ubi autem non adest consensus, non adest matrimonium; cap. *Sufficiat* 2, caus. 27; qu. 2, cap. *Cum locum* 14, De sponsalibus, cum nuptias non concubitus, sed consensus faciat; l. *Nuptias* 20, ff. *De regul. juris.*

(14. Error fortunæ aut qualitatis non dirimit matrimonium, nisi certe limitaret consensum contrahentis. *Communis*, arg. cap. *Cum in apostolica* 18, De sponsalibus, et cit. cap. *Quod autem*, caus. 29, qu. 1, ibi: « Error fortunæ et qualitatis non excludit consensum... quæ nubuit pauperi putans illum esse divitem, non potest renuntiare priori conditioni, quamvis erraverit... Similiter qui ducit in uxorem meretricem, vel corruptam, quam putabat esse castam, vel virginem, non potest eam dimittere, et aliam ducere. » Dictum autem fuit notanter nisi certe limitaret consensum contrahentis, quia invalidum est matrimonium, si non intendat contrahere, nisi adsit talis qualitas, eo quod tunc non censeatur adesse consensus in personam, nisi sub conditione qualitatis subsistentis; et consequenter, ubi non subsistit hæc, non subsistit ille; omnis enim contractus sub conditione honesta de præsentibus, conditione non subsistente, nullus est; l. *Cum ad præsens* 37, ff. *De rebus credit.*, et l. *Cum in secundo princip.* ff. *De injusto raptu*; S. Thomas in 4, dist. 30, qu. 1, art. 2, ad. 5; S. Bonaventura in 4, dist. 30, in *Expositione litteræ*, n. 4, et teste Sanchez lib. vii, disp. 18, n. 21, omnes alii. De matr. sub conditione vide *Addit. Cas.*, in fin. 4 artic.

(15. *Conditio* quantum ad præsens, seu error conditionis est iudicium, quo liber judicat personam, cum qua contrahit, esse liberam, cum non sit: conditio enim servilis est status personæ, quæ non est sui juris, ut in re communiter sentiunt doctores. (16. Hinc error conditionis servilis dirimit, et irritat matrimonium, quando liber cre-

dens contrahere cum libera, contrahit cum serva, et econtra, textu expresso in c. *Ad nostram* 4, De conjugio servorum, ibi: « Mandamus quatenus si constiterit, quod miles ignoranter contraxerit cum ancilla, ita quod, postquam intellexit conditionem ipsius, nec facto, nec verbo consenserit in eandem... contrahendi cum alia libera ipsi concedas auctoritate Apostolica facultatem: » et concordat cap. *Si quis ingenuus* 4, caus. 29, quæst. 2, ibi: « Si quis ingenuus homo uxorem ancillam alterius acceperit, et existimat, quod ingenua sit, si ipsa femina postea in servitute fuerit detecta, si voluerit, aliam accipiat; si autem ancillam eam scierat, legitimam eam habeat, similiter, et mulier ingenua de servo alterius facere debet. » (17. Intellige tamen conclusionem de servis, et ancillis proprie talibus, non autem de servis, et ancillis *asciitiis*, nec de *originariis*; matrimonia enim contracta cum istis a personis liberis, etiamsi illarum conditionem ignoraverint, sunt valida; ut, nemine dissentiente, sentiunt omnes doctores, et docet praxis communis.

(18. Matrimonium contractum a persona libera cum servili prius cognita ut tali, est validum, et licitum. *Communis*, textu claro in cap. *Proposuit* 2, et c. *Ad nostram* 4, De conjugio servorum; et cap. *Si quis*; lib. ii, cap. *Si quis ingenuus* 4, et cap. *Si femina* 5, caus. 29, q. 2; ibi: « Si femina ingenua deeeperit servum, sciens quod servus esset, habeat eum. » (19. Item validum est matrimonium contractum inter duas personas serviles, etiam invitis dominis; *Communis*, textu expresso in cap. *Dignum est* 1, De conjugio servorum, ibi: « Ita nec inter servos matrimonia debent ullatenus prohiberi: et si contradicentibus dominis, et invitis contracta fuerint, nulla ratione sunt propter hoc dissolvenda; » concordat cap. *Omnibus* 1, caus. 29, q. 2. (20. Item validum est matrimonium contractum a persona serva cum alia pariter serva, quam tamen putabat liberam, et cui non nupsisset, si conditionem ejus servilem cognovisset; Sic S. Bonav., in 4, dist. 36, art. 2, qu. 2, conclus. S. Th. in 4, dist. 36, art. 1, ad 1, his verbis: « Quia in matrimonio est æqualis obligatio ex utraque parte ad debitum reddendum; non potest aliquis requirere majorem obligationem ex parte alterius, quam ipse possit facere, et propter hoc servus, etiam si contrahit cum ancilla, quam credit liberam, non propter hoc impeditur matrimonium; et sic patet, quod servitus non impedit matrimonium, nisi quando ignorata est ab alio conjugate, et si ille sit libera conditionis. » Sic etiam docet Scotus in 4, dist. 36, q. 1. § *Dic ergo*; Durand, ib. q. 1, Pontas, Petr. Palud., *ibid.*, q. 1, n. 8, verb. *Impedimentum conditionis*, cap. 2, et alii passim. (21. Item validum est matrimonium contractum a persona libera cum alia libera, quam ex errore putat servam, quia exinde non deterioratur ejus conditio. *Communis* cum Scoto in 4, dist. 36, qu. 1; et Sanch. lib. vii, disp. 19, n. 23; Hostiens., in c. *Ad nostram* 4, De conjugio

servorum, in 2. Reiffenstuel, in c. *Ad nostram* 4, De conjugio servorum in 2; Reiffenstuel. l. iv, *Decr.* tit. 9, n. 10. (22. Item validum est matrim. contractum a persona serva cum libera, quam ex errore putat servam, quia melioratur ejus conditio; Scotus in 2, dist. 36, qu. 1; Reiffenst., l. c., n. 10, et alii comm.

(23. *Votum*, quod, ut sit impedimentum dirimens, debet esse solemne castitatis, est illud quod fit in professione religionis approbatæ, vel in susceptione ordinis sacri; arg. cap. unic. *De voto* in 6, ibi: « Præsentis declarandum duximus oraculo sanctionis, illud solum votum debere dici solemne, quantum ad post contractum matrimonium dirimendum, quod solemnizatum fuerit per susceptionem sacri ordinis, aut per professionem expressam, vel tacitam factam alicui de religionib. per Sedem Apostolicam approbatis. » (24. Omne, et solum votum solemne per susceptionem sac. ord. vel per professionem religiosam emissum dirimit matrimonium contrahendum; *communis*. Et quidem de voto solemni per susceptionem sac. ord. habetur cap. *De diacono* 1, et cap. *Ex litterarum tuarum tenore* 2, Qui clerici, vel voventes, cap. *Si qui clericorum* 1, De clericis conjugat., et concordat cap. *Presbyteri* 8, dist. 27, cap. *Presbyter* 16, dist. 28, cum similibus. De professione autem religiosa habetur cap. *Meminimus* 3, et cap. *Insinuante* 7, Qui clerici, vel voventes, et de utroque voto expresse definitum concilium Tridentinum sess. xiv. *De sacramento matrimonii*, canon. 9, ibi: « Si quis dixerit, clericos in sac. ordinib. constitutos, vel regulares castitatem solemniter professos, posse matrimonium contrahere, contractumque validum esse, non obstante lege ecclesiastica, vel voto... anathema sit. »

(25. Adest tamen hæc differentia inter votum solemne ordinis sacri, et votum solemne professionis religiosæ, quod votum solemne ordinis sacri est solum impedimentum dirimens respectu matrimonii postea contrahendi; at tamen non dirimit matrimonium prius jam contractum, quamvis nondum fuerit consummatum; *communis*; textu expresso, et definito a Joan. XXII in Extrav. *At quæ de voto*, ibi: « Quo licet votum solemnizatum per sacri susceptionem ordinis, quantum ad impediendum matrimonium contrahendum, ac ad dirimendum, si post contractum fuerit, secundum statuta canonum sit efficax reputandum; ad solvendum tamen prius contractum, etiamsi per carnis copulam non fuerit consummatum, cum nec jure divino, nec per sac. canones reperiatur hoc statutum, invalidum est censendum. » (26. *Votum* autem solemne professionis religiosæ, non solum est impedimentum dirimens respectu matrimonii postea contrahendi, sed etiam dirimit jam contractum raturum, dummodo nondum fuerit consummatum. *Communis*, textu expresso in cap. *Verum* 2, et cap. *Ex parte* 14, *De convers. conjug.*, et est expresse definitum a conc. Tridentino, sess. 24, *De matrim.*, can.

6, ibi: « Si quis dixerit, matrimonium ratum, non consummatum, per solemnem religionis professionem alterius conjugum non dirimi, anathema sit. »

*Subnectuntur hic additiones ex aliena manu, quæ in aliis Ferrariensibus editionibus collocatæ reperiuntur sub v. Conjuges; sunt porro hujusmodi.*

(27. Matrimonio contracto, et nondum consummato, potest alter conjugum, etiam alio invito, intra bimestre religionem ingredi, et remanens in sæculo ad secundas nuptias transire, ut recte ex text. in cap. 7 *De convers. conjugat.*, firmat auctor n. 3, et plur. sequent. *Vide ibi.*

(28. Quæri hic non incongrue potest, a quo tempore parti volenti religionem ingredi currat bimestre? Sunt qui tenent, numerari debere bimestre a die contracti matrimonii. *Vide Zoes.*, in *Decretal.*, lib. iii, tit. 32, n. 20; Wiestner. in hunc ipsum titulum, n. 2. (29. Alii vero sentiunt numerandum a die præfixionis termini factæ a iudice; (30. Fagnan. in c. 7, n. 27, *De conversione conjugat.*; Schmalzgrueb, *Jur. Eccles. univ.*, lib. iii, part. iv, tit. 32, § 1, n. 3, ubi quod utilis est resolutio hæc ad cognoscendum, quando conjuges sibi debitum negantes peccent, et quando si sponsus sponsam cogat, religionem amplius ingredi eidem non liceat.

(31. Controversia vero est non levis, an intra hoc bimestre a iudice præfixum teneatur ingredi volens profiteri? Ratio dubitandi inde oritur, quod concilium Tridentinum sess. xxv, cap. 16, *De regular.* statuit, ut professioni annus probationis præmittatur, et quidem sub pœna nullitatis. Navarrus, summus ille canonista, in utramque partem disputat consil. 1, per tot., *De convers. conjug.* sed in *Manual. confessor.*, c. 17, n. 27, affirmativam tenere videtur sententiam. Hanc ipsam affirmativam sententiam post Vega, Maja, Sol. aliosque acriter tuetur Zoes., *Decretal.*, lib. iii, tit. 37, n. 21, ubi: « Probabile inquit esse quantum ad hanc rem nihil esse immutatum per Tridentinum, quum decretum concilii sit generale, et posterius, quod solet per propria specialia restringi, et explicari etc. Facit ratio juris antiqui, ne scilicet per moram ingressi detur manenti in sæculo ansa peccandi, quæ ratio etiam obtinet jure novo. Nec videtur quidquam facere negatio universalis posita in dict. cap. 16, cum respondeat generali prohibitioni juris antiqui, ut non improbabiler jus novum ejus distinctioni adaptandum veniat, etc. Facit, quod priora jura non censeantur abrogari per posteriora, nisi sit in iis expressum. »

(32. Communior tamen est opinio negativa, secundum quam bimestre illud ad delibendum tantum datum intelligitur, et propterea is, qui intra hoc tempus ingressus est religionem, adhuc integrum habet annum, quo probare religionem possit, antequam teneatur professionem emittere. *Vide Fagnan.* c. 7, n. 19, *De convers. conjug.*; Wiest-